



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi  
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo  
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

**Crombach, Hermann**

**Coloniæ, 1645**

Caput 9. Insignis animi demissio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14591**

## C A P V T IX.

## Insignis animi demissio.

**T**acobus altum moliturus vitę sanctioris ædificium, profundum iecit humilitatis fundamentum. Vnde sicut postea

*Vide Proca  
miū libri  
7. tubarū*

SEPTEM TVBIS suis orbi Christiano vulgatis, oneris Pastoralis magnitudinem, obligationem & officia publicavit eo consilio, vt hoc velut Classico Clerus & animarum Curatores excitati ad bellum luxur, ambitioni, auaritię, otio desidiaq; velut capitalibus hostibus indicerent, vocationis & officij neglectum corrigerent, sacerorum contemptum & amorem sæculi velut pestes detestarentur; sic primus ipse sibi bellum denunciauit domesticum & assiduum, ac mentem sui cognitione depressit, de se viliter & submissè solitus sentire & loqui, iactantiam in verbis, in bene laudabiliterque factis ostentationem fugere, vt nullus apud eum assentationi, nullus vanę laudi & plausui populari locus esset; ideo suspectos habebat amicos, si laudarent immodicè libros, quos typis vulgauerat, cū illos ipse, quibus posset modis, depressum iret, sanè paucis

*se depri-  
mit.*

*fugit lau-  
des.*

cis ante mortem mensibus ita cuidam  
 è Societate Iesu Patri scripsit inter cate-  
 ra : [ Sed tamen suspendit me, an dicam  
 offendit, benignior illa & propensior cen-  
 sura, quam de me meisq; quisquilijs ferri  
 video; luculentum quidem indicium per-  
 humani & facilijs animi tam beneuolè res  
 amicorum æstimantis; sed suspecta ferè  
 sunt aut esse debent amicorum iudicia,  
 utpote quæ non tam veritas, quam affe-  
 ctus format, sincerius & securius critiriũ,  
 quod à parrhisia manat, quæ scilicet nec  
 in amicis nœuos & vitia dissimulet, quin  
 notas obseruat, monet & corrigit, imò  
 etiam reprehēdit. Faciet id quidem etiam  
 momus aut Aristarchus aliquis, sed ami-  
 cos ab his facilè dispar affectus discernit.  
 In meis quidem minutijs & nugis, quid est  
 quod tãti æstimari debeat? Mihi quidem  
 adeo non probantur pleraque, vt velim  
 abolita. PARADISVS placueritne, nescio;  
 mihi certè adeo non placuit amplius, vt  
 noua editio nouum pene totum & alium  
 propediè datura sit. Pergit deinde reliquæ  
 & Cōmentationē in S. BERNARDVM parĩ  
 modo deprimere, more viris sanctissimis  
 vlitato, qui mentis aciem à suis egregijs

*Amar  
 corripit.*

& heroicis factis auertebant, ad lapsus, ne-  
 uos & errores conuertebant assiduè, quo  
 sibi ipsis vilescerent, & ab alijs reprehendi,  
 corrigi contemniq; desiderarent, id alibi  
 pharmacum contra tumorem præscribit.  
 [Nosce teipsum, ô homo, quia ex cog-  
 nitione sui vilescit sibi homo, vt ex igno-  
 rantia sui intumescit; quid superbis, cuius  
 conceptio culpa, nasci pœna, viuere mise-  
 ria, & mori tormentum est? Vnde ergo  
 superbis, homo? ob gratiæ dona, naturæ  
 vel fortunę bona? vel ob ingenium, scien-  
 tiam, aut alias corporis vel animi dotes,  
 quibus te putas excellere? sed quid ex his  
 omnibus tuum est? nonne hæc omnia ab  
 Authore Deo & bonorum omnium fon-  
 te prodierunt? Aliena sunt isthæc omnia  
 tibi credita tantum & paulisper commo-  
 data, in Authoris gloriam & salutis tuæ  
 commodum; sed in dedecus & damna-  
 tionis cumulum cessura, nisi  
 bene expenderis.]

\* \*  
 \*

CA-